

# THE KINGS OF ALBA LONGA

(adapted from Jenney's First Year Latin for Lessons 23 + 24)

Post Latinum Bellum, Aeneas cum populo eius ex illo oppido Laurento migravit et novum oppidum condidit. Hoc oppidum quo moverunt ab uxoris nomine Lavinium vocaverunt. Tris post annos, Aeneas ad caelum portatus est. Ut Ascanius Iulusve, filius Aeneae, tum puer erat cum patrem amisit, noverca Lavinia oppidum (nunc urbem) diu pro eo rexit. Post duos et viginti annos autem ille visus est omnibus esse vir magnā virtute et animo patris. Itaque, ut ager pro hominum multitudine satis non iam erat et copia frumenti deficiebat, civium partem ad locum propinquum ubi Roma hodie stat deduxit et ibi aliam novam urbem, Albam Longam nomine, condidit. Alba Longa non modo multitudine hominum sed etiam magnitudine agri tanta mox erat quantum Lavinium.

In propinquā silvā forte uxor Iuli filium viro genuit, et nomen Silvius ei datum est. Illud nomen per saecula mansit et quoque omnibus regibus traditum est, ut omnes ab alto sanguine auctoris gentis, pronepotis Veneris, venerunt. Post tredecim saecula hominum, Numitor Silvius Albam Longam regebat. Postquam frater, Amulius nomine, Numitorem ex regno eiecit quoniam imperi cupidine motus erat, , Amulius, homo acris saevitiae, rex in fratris loco factus est. Non modo ab fratris filiis caede vitam dempsit, sed etiam sororem eorum, Rheam Silviam vel Iliam nomine, Vestalem fecit. Amulius inquit: “Sic quomodo erunt filii virginis? Imperium semper erit meum.” (Bwa-ha-ha!)

At Fata hoc foedum consilium miro modo prohibuerunt: nam Mars, numen frumenti et armorum, Rheae Silviae amore captus est et haec filios geminos deo genuit. Statim Rhea, quoniam erat Vestalis, ad mortem a patruo eius Amulio condemnata est, atque eius geminos proles in aquas Tiberis amnis iniectae sunt. <sup>264</sup>

- 7.-8. tanta...quantum: as large as
- 10. pronepos, pronepotis (m): great grandson
- 13. non modo...sed etiam: not only...but also
- 15. Bwa-ha-ha: “Bwa-ha-ha” in the voice of Count von Count
- 18. patruus, i (m): uncle

# ROMULUS AND REMUS

(adapted from Jenney's First Year Latin for Lesson 25)

Amuli imperio gemini filii Martis et Iliae in Tiberim amnem iniecti erant. Forte eo tempore aqua fluminis deficiebat et ergo non celeriter fluebat. Itaque parvuli ad ripam undis portati sunt, ubi lupa eos invenit et eos aluit\* quia suam prolem amiserat. Igitur miris modis e morte erepti sunt. Magister regii pectoris, Faustulus nomine, simul atque geminos cum lupā aspexit, eos cepit et utrumque portavit ad Larentiam coniugem suam. Postquam Faustulus pueris nomina Romulum et Remum dedit, et is et Laurentia eos sicut caros filios suos eduxerunt.

Postquam gemini iuvenes adoleverunt, curae pecoris se dediderunt, sed non huic operi soli; quotiens otium eis erat, postquam totum opus diurnum confecerant, se in venatione versabantur. Deinde, quoniam nunc et fortes et validi hoc studio facti erant et alter alteri par virtute viribusque erat, quoque cum latronibus pugnabant et praedae eorum partem capiebant et cum ceteris pastoribus dividebant. Multi alii iuvenes, cupidi et talis praedae et decoris, undique convenerunt, itaque gemini mox facti sunt duces totius multitudinis illorum iuvenum.

Olim latrones hos iuvenes oppugnaverunt, ubi nudi cum nullis armis Lupercaliam celebrabant, et partem iuvenum ceperunt captivosque tenebant. Romulus ipse cum parte suorum virorum se in fugam dedit. Latrones autem Remum ceterosque pastores vinxerunt et ad ducem eorum deduxerunt. “Hunc iuvenem, domine,” inquit “excepimus ut ex nostris agris nostram praedam portabat et tibi nunc tradimus; sed alter, huius geminus a nobis fugit.” Dux eorum, nomine Numitor, ut Remum aspiciebat, secum putabat, “Estne hic iuvenis, vir huius aetatis, unus de geminis fratribus, meus nepos?” Eodem tempore Faustulus pervenit et Numitori omnia de utroque gemino aperuit.

Romulus et Remus ergo suos iuvenes et Numitoris latrones ad regiam duxerunt, ubi Romulus Amulium interfecit. Hoc modo Numitor regnum iterum recepit unde a suo fratre eiectus erat. <sup>287</sup>

alo, ere, alui, alitum (3) – to feed, nourish, raise

# THE FOUNDING OF ROME / MARRIAGE BY KIDNAPPING

(adapted from Jenney's First Year Latin for Lesson 26)

Postquam Numitori regnum iterum commissum est, cupido alicuius novi Romulum Remumque cepit, itaque in loco in quo educati erant novam urbem condere constituerunt.

Sed deinde malum Amulii intervenit, cupido imperi, atque inde foedum certamen, quoniam iuvenes quos uterque ducebat inter se pugnabant. Postquam Romulus cum suis moenia in Palatio inceperat, Remus fratrem ludebat cuius muri novi tam parvi erant et ludibrio eos transiluit; subito ab irato Romulo interfectus est, qui haec verba quoque adiecit, "Sic deinde quicumque alius transiliet moenia mea." Hoc modo, Romulus factus est rex et nova urbs appellata est Roma, cuius munitiones Palati mox confectae sunt, in quā Forum quoque inclusum est. Ob magnitudinem urbis, quae plena hominibus non erat, Romulus in Capitolio asylum aperuit, quo pauperes fugitivique ex finitimis populis undique conveniebant. Hoc modo nova urbs mox magna facta est.

At in urbe, quamquam magnā, nullae feminae erant et Romani igitur uxoribus carebant. Tum Romulus legatos quos delegerat circa vicinas gentis misit, qui societatem conubiumque petebant. Nusquam autem benigne legatio accepta est, nam finitimi novam urbem in medio timebant.

Postquam legati tristes illinc rursus venerunt, Romulus iratus secum putabat "Nobis ergo coniuges vi reperiemus" consiliumque fecit in quo vocavit finitimos Sabinos ad Consualia, quos ludos Neptuno equestri, cui nomen Consus quoque datum erat, praebebat. Hic Consus erat numen fluminis quod sub terrā conditum erat illic ubi equi celeres in certamine currebant. Tum cum illuc hospites convenerant et in herbā in collibus Palatio et Aventino sedebant ubi uno die Circus Maximus aedificatus est, omnes Romani, qui ut Romulus praeceperat tela in vestibus celaverant, quodam signo virgines Sabinas, quisque coniugem sibi, statim rapuerunt. <sup>269</sup>